



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.22. Legati ex Oriente ad Carolum missi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](#)

Sæculum IX. jicientibus, secundum Legem Romanam  
A. C. 801. judicati, & ad mortem, veluti rei laſa  
 Majestatis, damnati sunt. At vero Pa-  
 pa pro reis orans, iisdem vitam & mem-  
 brorum incolumentem impetravit. Er-  
 go in Francia exulare jubentur. Impe-  
 rator tota hyeme Romæ versatus, causis  
 Reipublicæ & Ecclesiæ compositis, tan-  
 dem post Pascha anno 801. vigesima quin-  
 ta Aprilis discessit.

## §. XXII.

*Legati ex Oriente ad Carolum  
 missi.*

*An. Eginh.* Carolo Aquisgrani sub finem anni se-  
 ptingentesimi nonagesimi noni com-  
 morante, Monachus Jerosolyma adve-  
 niens dona & Reliquias S. Sepulchri a  
 Patriarcha missas attulit, cui Jerosoly-  
 mam redituro Rex comitem dedit Pres-  
 byterum e Regia sua, nomine Zacha-  
 riā, qui anno exacto ex Oriente rever-  
 tens, mense Decembri anno octingen-  
 tesimo eadem die, qua Papa se a crimina-  
 tionibus publice purgavit, Romam per-  
 venit. Zachariam secuti fuerant duo  
 Monachi a Patriarcha Jerosolymitano  
 missi, Regi Carolo claves S. Sepulchri,  
 & montis Calvariæ cum Vexillo afferen-  
 tes. Rex humanissime exceptos, aliquot  
 dies apud se retinuit, & redire volentes,  
 muneribus cumulatos dimisit.

Carolo

Carolo etiam, quis crederet? cum Sæculum IX.  
Califa Aarone, qui toto ferme Oriente A. C. 801.  
potiebatur, & ad quem ante annos qua- *Ann. Eginh.*  
tuor Legatos duos cum socio itineris  
Judæo, nomine Isaac, miserat, amicitia  
intercedebat. Legatos mors in itinere  
sustulit. Isaac autem anno 801. rediit,  
& Pisas appulit, Carolo Imperatore in  
Italia commorante. Socium itineris ad-  
ducebat Persam, Aaronis Legatum. Præ-  
terea Elephantem, aliaque Dona, exqui-  
sitissimos odores, & auro gemmisque tu-  
mentes vestes attulerat. Califa Aaron *Id. in vit.*  
amicitiam Caroli omnibus aliis præfere- *p. 99.*  
bat, dicere solitus, inter cunctos Princi-  
pes solum Carolum honore dignum esse.  
Hinc cum Legati a Rege cum donis ad  
S. Sepulchrum missi in conspectum Aa-  
ronis venissent, non modo ea, quæ pete-  
bant, indulxit, sed concessit etiam Regi,  
ut sanctum Locum in sua potestate ha-  
beret. Atque id ipsum sine dubio mis-  
ſa a Patriarcha Jerosolymitano claves  
vexillumque indicabant.

### §. XXIII.

#### *Nicephorus Imperator. Irenis obitus.*

Cum Irene Imperatrix Legatum ad *Ann. Eginh.*  
confirmandam pacem misisset in Fran-  
ciam, Imperator Carolus vicissim Jesseum  
Rr 5 Epis.